

OCULUM DEI SAPIENTIAE TESTEM,
CUM
VIR GENEROSISSIMUS, DOCTISSIMUS
atque EXPERIENTISSIMUS,
DOMINUS
JOHANNES TAYLOR,
ANGLUS EQVES,

MEDICINAE DOCTOR IN VARIIS ACADEMIIS & MEDICIS SOCIETATIBUS LITERARIIS, BRITANNICAE MAJESTATIS REGIAE
MEDICUS OCULARIUS, nec non CAROLI DUCIS LOTHARINGIAE & BARRAE, ut & PRINCIPIS ARAUSIONENSIS,
ejusque CONJUGIS REGIAE OPHTHALMICUS CELEBERRIMUS,
& MEMBRUM ACADEMIARUM GALLIAE, GERMANIAE, HELVETIAE & LUSITANIAE DIGNISSIMUM &c.

FRANCOFURTI AD MOENUM,
ET LECTIONES DUAS OPHTHALMICAS, IN MAGNA LECTORUM,
MEDICAE GENTIS FILIORUM ALIORUMQUE CURIOSORUM
FREQUENTIA PUBLICE HABERET DOCTISSIMAS, & COMPLURIBUS
OCULORUM VITIIS LABORANTIBUS VARIIS, OPEM MEDICAM APTE,
CITO, JUCUNDE & SECURE AFFERRET, & TESTIMONIIS
quoque ERUDITORUM PLURIMIS, HIC LOCI IMPRESSIS,
SUI NOMINIS FAMAM COMMENDARET OMNIBUS, ATQUE APPARATU
SVO OPHTHALMICO INSTRUCTISSIMO, MONSTRATO, ARTIS MEDICAE
OCULARIS PRETIUM FACERET OMNIBUS TESTATUM, CONSILIIQUE
SUIS OCULORUM ACIEM CONSERVANDI DEXTERISSIMIS, SUI
MEMORIAM COMMENDARET FRANCOFURTENSIBUS,
ANNI JUBILARIS MDCCL. HUIUS AUSPICIO,
DELINEARE VOLUIT,

AC UNA
CARMINE HOC PROPEMPTICO & EVCHARISTICO,

FELIX ITER, FAUSTAQUE OMNIA APPRECARI,

M. DAVID FRIDERICUS MEGERLINUS.

WIRTEMB. PROFESS.


FRANCOFURTI AD MOENUM D. 15. JAN. A. 1750.

MULTORUM DESIDERIO EST VULGATUM,

&

SENSU EXCELLENT. DN. D. TAYLORI IMPRESSUM,

APUD HAEREDES B. STOCKII ET SCHILLINGII.



* *
*

Quanta Dei hos *oculos* faciens Sapiencia summi est?
Haud qui observat eam, *stultus* habendus erit.
Pf. 94, 8. 9. Prov. 20, 12.

Hinc natura stupet, quando ars occulta revelat,
Nudus quæ haud *oculus*, sed videt *artis* ope.
Exoculati sunt, usum qui non *oculorum*
Perpendunt grati, luce fruendo Dei.
Corporis est *oculus* lumen, quo *machina* cernat,
Tota movenda bene, & tota regenda pie.
Coecus quando tuum nescis *oculum* ipse videre,
Quantæ sunt tenebræ? corpus ubique jacet.
Math. 6, 22. Luc. 12, 34.
Opposita hic juxta se si ponantur ab arte:
Usus mox *oculi* quam manifestus erit?

Qui visum hinc, vitam dat, sed cum *Numine* fausto.
Artem sanandi huic tradidit ipse Deus.
Est *Deus inventor* rerum, Doctorque novarum.
Accepta huic uni fert sua cuncta pius.
Invide! pone tuum livorem & crimina nota.
Hic nullum invenies *Zoile!* *Mome!* locum,
Hunc *Æsculapium* facerent, huic templa dicarent
Antiqui, varios qui coluere Deos.
Gloria sufficit huic divini *Numinis* æqua :
Post & eum merito gloria justa manet,
Hic *oculissimus* est *Medicus*, multos *oculando*.
Europa est *oculus* : *gratus* ubique fuit.
Quod *Medici* laus est : secure ut curet, & apte,
Jucunde atque cito : præstitit omne diu id.
Testes sunt *docti* : testes *collegia* tota :
Non *semel* est *Doctor scriptus*, ubique fuit.
Hunc *Medici* plures socium sibi jungere certant :
Conciliant decus hoc ejus honore sibi.
Non novus est *Doctor*, *viginti* cognitus annis.
Dimidia Europa est testis, & altera erit.
Post varios casus, & post discrimina multa,
Tranquille potuit vivere jure *domi* :
Ars detecta tamen nova rursus vellicat aurem :
Ut fortunaret jam loca porro nova.
Humano generi vult intervire *Professor*
Communis : peregre hinc migrat in orbe lubens :
Ut monstrat *secreta* aliis, arcanaque pandat :
Consultere innumeris queis medicina queat.
Ars sudore stetit multo hæc, vastoque labore,
In *varia* excoluit se regione magis.

) (3

Altera



Altera namque dies hæc, quæ prius altera nescit,
 Docta docet, studiis invigilando Sacris:
 Ingenium si sit faustum, ac mens enthea cœli
 Dote potens, nova quo sic reperire queat.
 Conspirant artes plures: non optica sola est:
 Physica concurrat, Mechaniceque juvat.
 Hoc opus, hic labor est, doctas evadere ad auras,
 Uti doctrinis, principiisque ratis.
 Sunt qui mente tenent artem: praxis negat usum:
 Ipsa quod infelix est operando manus.
 Natus ad hanc artem, ac tractanda ophthalmica fauste, est
 Hic Doctor TAYLOR: singula rara patent.
 Mirum os TAYLORI est, scita ars, & dextera prompta,
 Quæ bene curavit, scriptaque docta dedit.
 Quatuor atque decem jam scriptis cognitus orbi est,
 Diversa Europa hæc terraque linguaque fert,
 Hæc tractant morbos varios, orbemque oculorum
 Partibus in cunctis cernere rite jubent.
 Huc cœci, huc luscii, huc lippi, tristesque myopes,
 Presbyta ac cuncti, quæso venite citi!
 Credite, vestra mala haud plus docta hac arte valebunt:
 Qui semel est luscus, non magis luscus erit.
 Hic cataracta procul, lachrymalis fistula cedit,
 Mox glaucoma fugit: gutta serena cadit.
 Humores varios si quæ vitiant tunicasque:
 Ars vincit mediis obvia quæque mala.
 Successu fausto TAYLORI dextra operatur.
 Cur? quoniam artificis filius ipse Dei est.
 Crede: Dei Medicus * donum est oculus aptus: I. Cor. 12, 19.
 Non omnes possunt hæc penetrare sacra.

Incolumis maneat sibi quo vitreata potestas,
 Crystallique vigor, pupula & ipsa bona.
 Hic tunica plures, sclerotica, & uvea bulbi,
 Vitrea, & annata, & reticulata patent.
 Optice nerve! Deum lauda: hunc Crystalle celebra:
 Muscule fac & idem, fac aqua, fibra, vitrum!
 Hoc fac o tunica & quævis, ac quilibet humor!
 Corporis & lauda * portio quæque Deum,
 * Ps. 103, 1-3.

Uno visne oculo tu nunc strabe vane! tueri:
 Dum ratione tua & religione vides?
 Artem oculi ratio monstrat, partes imitando
 Illius cunctas: machina tota micat,
 Pupula parva potest Speculi vim rite tenere:
 Ut menti rerum possit imago dari.
 Obscura hic camera est: se cuncta objecta figurant,
 Et pingunt variis millia mille modis,
 Vita carens oculis morti ipsa simillima languet:
 Distinguit bene lux cuncta colore suo.
 Tam miranda oculi est nostri structura tenenda:
 Ut Deus ipse sibi * vendicet ejus opus!
 Disce bene admonitus divinis parcere ocellis,
 Qui tibi commonstrant cuncta creata Dei.
 Sunt nocumenta oculis, sunt corroborantia visum.
 Illa fuge, hæc oculis dispice, quæso, tuis,
)(2

Ang.

* Vid. Angli Derham Physico-Theol. I. 4 c. 2. p. m. 172. Astro-Theol.
 p. 55. Wolf Phys. P. 3. c. 5. §. 151. Ej. Experim. T. 2. c. 10. §.
 144. de luce & Color. T. 3. c. 8. de Oculo artificiali, Optic. §. 22.
 Teleolog. de Fabrica oculi ejusque fine & usu T. 1. c. 14. §. 426.
 Sturmii oculus Θεόσκοπος. Salomo Prov. 20. 12. הַיָּוֵן יִבְרָן
 --- Math. Spec. 7. Scher. --- Phys. Jobi p. 119. Ibum.
 J. Mathemat. p. 560.
 an Ingen p. 1 87. &c.

Anglorum Regi hæc scripsit schola docta Salerni:

Anglum tu Taylor percipe mente tua.

TAYLOR adest Doctor Tibi, Francofordia! gaude

Doctrina illius: tota oculata vides.

Accurrunt ægri, concurrunt undique sani:

Publica quod Te bis gallica pensa docet.

Gallia quem vidit, quem Portugallia fovit,

Quem Basilea etiam plausit adesse sibi:

Quem mirata fuit vicina Colonia Rheni,

Oris Hispani quem tenuere suis:

Hunc cernis Mæno Tu Francofordia! felix,

Cumque novo hoc anno lumine fausta novo es.

Annon est lumen mundi, qui lumina reddit

Cæcis ac miseris, lucis ut usus ovet?

Qui visum, * vitam dat, & is conservat eandem,

Numine propitio: quam bonus ipse Deus?

Quære tuis sapiens oculis aptum relevamen:

Ut serves monitis lumina cara diu.

Restituit visum multis jam lumine cassis.

Tam rara est ars hæc, ac oculata manus!

Restituit visum Christus, sine legibus artis,

Supra naturam, mira patrare potens.

Non potis est noster, natura ubi non operatur.

Amplius in cæcis, reddere lumen iis.

Sed quia naturam scrutanti & motum oculorum,

Est nova aperta via: Hic rara operatur amans.

Qui

* Hoc Excellentissimi Domini D. Veriverbium, omnibus quoque ipsius scriptis ac instrumentis inscriptum admittantur omnes, Deique prædicant bonitatem, hominibus oculorum usuram arte reddendi & conservandi.

Des Libros multis, des instrumenta oculorum:

Ipsa simul manus his num queat apta dari?

Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt:

Tu Francofurto gloria jugis eris.

Perge bonis avibus Gotham, Dresdam, Berolinum.

Cum desiderio Te ipsa Vienna petit.

Expectant quoque Te Roma cives jubilares.

Fama tua ac nomen crescat in orbe Tuum;

Ut possis artem doctam bene tradere Nato,

Et sic TAYLORI gloria porro cluat.

TAYLORES doctos novit magno agmine doctus

Orbis. Gavisa est Anglia semper iis.

Thejologos, ac Philologos, dignosque Poëtas,

Jureque conspicuos, Lexica docta ferunt.

TAYLORI nostri Pater est clarus Medicina;

Hac vincit Patrem filius ipse suum.

Quid non de Nato, gradibus crescentibus, hujus

Speres? plus ultra! vix datur hicce locus.

Orbem complesti tu jam scribendo, juvando &

Ægros, ac terras sic obeundo novas.

Avropta hic fuimus: dum inspectio nos ocularis

Convicit veri, fama quod ante tulit.

Reges Te hinc & amant Magnates, Cræsus & Irus,


Cæcus enim est subito, cui modo visus erat.

Per Te mendicus videt æque ac præditus auro,

Nam divinus homo es, sic imitando Deum.

In te oculos fixos teneat Divina Pronæa:

Ut tarde videas sidera clara poli.



* * *

ON avertit en même tems le public, qu' on va traduire actuellement du François en Allemand, avec le consentement de Monsieur le Docteur Taylor, le suivant ouvrage: qui avoit le Titre:

Un nouveau Traité du Mécanisme sur le globe de l' Oeil, & la manière de guérir les différentes Maladies: comme il a été pratiqué plus de vingt années dans de diverses Cours & universités de l'Europe, & en dernier lieu à Francfort sur le Mein: orné de planches gravées en taille douce, dédié au premier Medecin du Roi de France:

Par Mr. le Chevalier *Jean Taylor*, Docteur en Medecine, Oculiste de sa Majesté Britannique, & de leurs Altes ses Roiales, Monseigneur Charles, le Duc de Lorraine & de Bar, & de Monseigneur le Prince & la Princesse d'Orange: Membre des plusieurs Universités célèbres en France, Allemagne, Suisse & Portugal &c. auteur de divers autres ouvrages &c.

Qui visum, vitam dat.

* * *

Dem geehrten Leser wird hier zugleich Nachricht gegeben: daß bey den Herren Verlegern dieses Carminis, Stocks Erben und Schilling, Buchhändlern allhier, auf hohe Erlaubniß des hochberühmten Herrn D. Taylors, würcklich gedrucket werde folgendes Werk:

Neue Abhandlung von der mechanischen Bewegung der Augen-Kugel, und der Art die mannigfaltige Kranckheiten der Augen zu heilen: wie dieselbe schon mehr als zwanzig Jahr practicirt worden, an verschiedenen Höfen, und auf vielen hohen Schulen in Europa, und erst letztlin hier in Franckfurt am Mayn: geziert mit unterschiedlichen Kupffer. Stichen, und des Auctoris Portrait, samt einer Dedication an den ersten Hof-Medicum Sr. Königl. Maj. in Franckreich: verfertigt von dem Hoch-Edelgebohrnen und Hochgelehrten Hr. Joh. Taylor, Ritters, Doctore der Arzney-Kunst, Deulisten, Ihro Königl. Großbrittan. Maj. wie auch Ihro Königl. Hoheit, des Herzogen Carls, von Lothringen und Baar 2c. ingleichen Ihro Durchl. und resp. Königl. Hoheiten des Prinzen und der Prinzessin von Oranien &c. Mitglied vieler berühmten Academien in Franckreich, Deutschland, Schwetz und Vortügall 2c. Qui visum, vitam dat.

Franckfurt am Mayn, bey *Stocks Erben*

FRANCKFURT A. M.

Text auf S. 4

überklebt

Text auf S. 7

abgeschnitten